



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXXVI. Vtrùm quod diximus de Angelis, dicendum sit de Christo Domino?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

Beatos de potentia absoluta beatitudinem impedire per peccatum; licet non possint componere peccatum cum beatitudine. Secundò, voluntatem Beati pro eo priori naturæ, in quo est indifferens ad meritum beatitudinis conferendæ in eodem instanti reali, præscindere à potentia, & impotentia peccandi, ut præscindit à beatitudine existenti, & ejus carentiâ; ut autem Deus intelligatur negare concursum ad peccandum, requiritur beatitudo existens; & ejus carentia existens, ut intelligatur concedere.

754. Instabis: Judicium pro illo priori esset, & simul non esset indifferens ad peccandum: esset, quia pro eo priori potest esse cognitio bonitatis honestæ & delectabilis, quæ constituit indifferentiam judicii in homine purè viatore: Non esset, quia ad judicium indifferens requiritur carentia judicii determinantis, & beatifici, quæ in illo priori naturæ non daretur, cum pro toto instanti reali daretur Visio Beata; sed hoc implicat contradictionem; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Ripal. cit. num. 26.* pro illo priori naturæ non dari judicium indifferens ad peccandum, quia, ut bene probat argumentum, & patet ex proximè dictis, non datur carentia realis Visionis Beatæ, quæ necessaria est ad hanc judicii indifferentiam.

755. Respondeo secundò cum eodem *P. Ripal. cit.* dari quidem judicium ex se indifferens, & sufficiens ad peccandum, sed absque potestate absoluta peccandi; siquidem ad peccandum præter indifferentiam judicii requiritur, quod homo sit extra statum summæ felicitatis, & nulli miseria subiectum. Patet in Christo Domino, qui non esset potens peccare, licet privaretur Visione Beata, & cognosceret indifferenter bonitatem, & malitiam objecti, quia præter hanc cognitionem indifferentem, requireretur ad peccandum carentia sanctitatis infinitæ.

756. Argues. In eodem instanti reali non potest esse gratia perfecta, & imperfecta, consummata, & inchoata; sed ita esset, si meritum conjungeretur in eodem instanti cum beatitudine; siquidem gratia merentis est imperfecta & inchoata; gratia verò Beati est perfecta, & consummata; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem; non potest gratia in eodem instanti esse perfecta, & imperfecta, consummata, & inchoata negativè; concedo majorem: præcisivè; nego majorem: sic enim pro eodem instanti gratia dignificans merita est remissa, & intensa; remissa quidem pro priori naturæ præscindens ab intensione, non tamen illam negans, & excludens: & contritio impetrans justificationem est informis, & formata simili ratione, nempe informitate præcisivè pro priori naturæ; non autem negativè formationis realis. Unde gratia merentis in propositâ questione esset imperfecta, & inchoata præcisivè pro priori naturæ, in quo præscinderet, non tamen negaret perfectionem, & consummationem gratiæ, utpote quam non excluderet pro toto instanti reali.

### SECTIO XXXVI.

*Verum quod diximus de Angelis, dicendum sit de Christo Domino?*

757. **D**ico 1. Christus Dominus, licet fuerit Beatus à primo instanti suæ conceptionis, bene potuit de potentia Dei absoluta sibi in eodem instanti mereri

beatitudinem animæ, & cætera dona gratiæ, & scientiæ. Ita *Albert. Magn. in 3. dist. 18. art. 4. & 7. Major. ibid. quest. 2. Rubion. q. 1. art. 2. Bassol. art. 3. Mayron. quest. 1. Alesis 3. part. quest. 16. membr. 1. Alrifodor. lib. 3. sum. tract. 1. cap. 7. quæcitatur, & sequitur P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 40. sect. 1. §. Secunda sententia. P. Lugo d. 27. de Incarnat. sect. 2. num. 8. & alii. Probatur primò, quia in hoc nulla apparet implicantia, aut contradictio, ut patet ex supra dictis de Angelis à num. 747. ergo &c.*

Probatur secundò, Ideò Christus Dominus non potest sic mereri suam beatitudinem essentialem, gratiam, & alia dona supernaturalia, quia meritum debet necessariò præmium tempore antecedere, quod in Christo Domino non potest habere locum, cum in primo instanti suæ conceptionis fuerit Beatus; sed necesse non est, ut meritum tempore antecedat præmium, sed solum quod naturâ sit prius, ut patet ex supra dictis de Angelis, & de facto accidit in homine justo, qui perfectè, & de justitia meretur augmentum gratiæ ut præmium actus meritorii, & tamen in eodem instanti, quo illud meretur, illud recipit, ut est indubitatum apud omnes; ergo &c.

Confirmatur, quia meritum aut potest comparari ad Deum, qui daturus est præmium; aut ad ipsum præmium: Si primum, nulla est repugnantia, quod simul sit in eodem instanti cum ipso præmio, cujus est meritum; siquidem in eodem instanti, in quo sit meritum, Deus acceptat illud, & cum sit Omnipotens, potest statim præmium dare, si aliunde non repugnet: Si secundum, etiam non repugnat; siquidem res illa, quæ habet rationem præmii, potest esse talis, ut non repugnet esse simul cum illo actu, in quo fundatur meritum, ut patet in exemplo adducto de actu charitatis, & ejusdem charitatis augmento in homine justo; & etiam non repugnat beatitudo animæ Christi Domini cum ejus actibus meritoriis; alioqui nobis etiam non mereretur gratiam, & gloriam; ergo &c.

Oppositum videtur tenere *D. Thom. 3. part. q. 19. art. 3.* & ita videntur illum interpretari Caiet. & alii Thomistæ: dicant etiam *Scot. in 3. dist. 11. q. unica. §. Hoc viso ad primum. Gabr. ibid. art. 3. dub. 1. & tenet Henric. quodlib. 6. quest. 6.* pro quibus adduci poterant argumenta supra adducta à num. 756. quæ cum ibi sint soluta, non sunt hic repetenda; adhuc tamen: Objicies 1. Si Christus Dominus ita posset sibi mereri suam beatitudinem, aut esset per opera antecedentia, aut per subsequencia ipsam visionem Beatam: Non primum; siquidem supponimus, animam illius nunquam caruisse Visione Beatâ: Non secundum; siquidem hoc est contra rationem ipsius meriti, hoc enim debet antecedere præmium, cum sit illius causa, & aliquo modo efficiens; ergo &c. Respondeo Christum Dominum potuisse ita sibi mereri suam beatitudinem essentialem, gratiam, & dona supernaturalia per opera tam antecedentia naturâ, quam subsequencia ipsam Visionem Beatam, ut constat ex supra dictis de Angelis, & ex statim dicendis constabit.

Objicies 2. Non apparet modus, quo Christus Dominus potuerit sibi suam beatitudinem, gratiam, & dona supernaturalia mereri; ergo &c. Respondeo cum *P. Soar. cit.* negando antecedens; duobus enim modis potuit Christus Dominus ita mereri: Primò per opera subsequencia, ita ut propter illa prævisa data ei fuerit prima gratia, & beatitudo, quod etiam extendi potest ad primum auxilium, & ad primum actum cujusque scientiæ. Secundo modo per opera antecedentia, quatenus Deus potuit

potuit in instanti creationis animæ Christi, primum omnium elevare ejus intellectum ad cognitionem aliquam abstractivam Dei, & per scientiam infusam: & præbere similiter auxilium voluntati, ut per liberum actum se disponderet ad susceptionem gratiæ, & aliorum donorum, ad eum modum, quo nunc elevat voluntatem hominis in instanti justificationis, ut se disponat ad gratiam. Unde sicut in justificatione hominis, dispositio naturæ antecedit infusionem gratiæ, ita fieri potuit in prima sanctificatione animæ Christi per gratiam accidentalem, & in susceptione beatitudinis, ut potè quæ per eandem dispositionem possit mereri, quatenus posset mereri ipsam gratiam perfectam, & consummatam, ac proinde gloriam.

762. Dico 2. Christus Dominus de facto non sibi meruit Visionem Beatam, sive beatitudinem essentialem suæ animæ. Ita D. Thom. 3. part. quest. 19. art. 3. Magist. in 3. dist. 18. D. Bonavent. ibid. art. 2. quest. 1. Richard. art. 2. quest. 1. Paludan. quest. 2. Durand. quest. 3. num. 6. Scot. & Gabr. quest. unica, Marsil. quest. 12. art. 1. conclus. 3. Alenf. 3. part. quest. 16. memb. 3. art. 1. Driedo de Captivir. & Redemptr. tract. 2. cap. 2. part. 3. art. 3. Sor. in 4. dist. 21. quest. 1. art. 2. Cano. lib. 12. de locis, cap. 14. ad 6, quos citat, & sequitur P. Soar. tomo 1, in 3. part. d. 40. sect. 2. §. Nihilominus, P. Bellarm. tomo 1. lib. 5. de Christ. Mediator. cap. 9. P. Valent. quest. 19. pun. 3. P. Vasq. d. 78. cap. 2. P. Granad. tract. 14. d. 2. sect. 2. num. 10. P. Lugo de Incarnat. d. 27. sect. 2. num. 10. P. Ripal. tomo 2. d. 77. sect. 3. & d. 85. per totam, & alii. Probatur primò, quia de lege ordinariâ, quæ alicui debentur, non possunt ei conferri ex merito; sed Visio Beata debebatur Christo Domino tanquam proprietatis Unionis Hypostaticæ; ergo non fuit ei collata ex meritis.

763. Probatur secundò, quia omne meritum debet antecedere præmium, tanquam causa moralis suum effectum; unde D. Aug. lib. de Morib. Ecclesiæ cap. 25. Non potest, inquit, præmium præcedere merita, & prius homini dari, quam dignus est: quid enim hoc injustius; sed Visio Beata, & lumen gloriæ fuit ante omne meritum Christi Domini; siquidem utramque fuit ante omnem actum liberum voluntatis illius, in quo deberet esse meritum, cum fuerit in primo instanti suæ conceptionis, tanquam proprietatis debita Unioni Hypostaticæ; ergo illam non meruit de facto Christus Dominus.

764. Oppositum tenent Albert. Magn. Atrifiodor. Rubion. Bassol. & Mayron. apud P. Soar. cit. Pro quibus: Argues i. Isai. 53. ibi: Pro eo, quod laboravit, videbit, & saturabitur; visio autem, quæ latiat, non est, nisi Visio Beata, juxta illud Psalm. 26. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Et Isai. 62. ibi: Ecce Salvator tuus venit, & merces ejus cum illo. Et Plal. 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, id est, gratia habituali. Et Ioan. 10. Propterea me diligit Pater, quia animam meam pono: Ex quibus locis, aliisque pluribus videtur constare, Christum Dominum sibi meruisse gratiam, & gloriam; ergo &c. Respondeo citata loca, aliisque similia intelligenda esse de gloria Corporis, & exaltatione Nominis Christi Domini, ut ex infra dicendis constabit.

765. Argues 2. Quidquid possibile est, & magis conducens ad dignitatem, & excellentiam Christi Domini, non est ei denegandum; sed possibile fuit, quod Christus Dominus sibi meruerit suam Visionem Beatam, & hoc erat ei magis gloriosum; ergo illam meruit Probatur minor, quia si repugnaret mereri suam Visionem beatam, aut esset, quia fo-

ret ei debita; aut quia illam haberet in primo instanti suæ conceptionis: Non primum; siquidem etiam gloria Corporis fuit ei debita; & tamen de facto illam meruit, ut infra dicemus: Nò secundum; siquidem de facto justus in eodem instanti, quo meretur augmentum gratiæ, illud obtinet; ergo possibile fuit, quod Christus Dominus sibi meruerit Visionem beatam.

766. Respondeo negando majorem, quia possibile fuit Christo Domino majus augmentum gratiæ habitualis, factâ suppositione, quod infinita non fuerit: Similiter possibile etiam fuit plura, & majora patrare miracula, & utrumque magis gloriosum Christo Domino; & tamen de facto neutrum habuit. Unde solùm debemus concedere Christo Domino, quod est possibile, & ei magis gloriosum secundum regulas, & leges Providentiæ Divinæ, quæ de facto respexit Christum Dominum ut Redemptorem in carne passibili; proindeque valde attendit ad media magis conducentia huic fini. Addo cum P. Vasq. cit. non fuisse Christo Domino magis gloriosum obtinere gloriam essentialem ex merito; siquidem longè excellentius fuit, quod illam obtinuerit ex debito, tanquam Filius naturalis Dei. Ex dictis:

767. Colliges primò cum P. Bellarm. P. Soar. P. Granad. P. Lugo, & aliis supra cit. Christum Dominum sibi non meruisse gratiam habitualement, neque habitus eam comitantes, neque species scientiæ per se infusæ. Primò, quia gratia illa, habitus, & species debentur Christo Domino tanquam proprietates Unionis Hypostaticæ. Secundò, quia aliquo modo antecesserunt omnem actum meritorium Christi Domini; siquidem actus supernaturales, & meritorii in Christo Domino debuerunt supponere habitus, ut ab his perfectiori, & connaturaliori modo procederent; ergo cum habitus supponant gratiam habitualement, sequitur, quod Christus Dominus neque gratiam, neque habitus meruerit. Tertiò, quia omnis perfectio supernaturalis debetur Humanitati Christi Domini secundum exigentiam connaturalem Unionis Hypostaticæ; ergo tam gratia habitualis, quàm habitus virtutum, species scientiarum, lumen gloriæ, & Visio Beata fuerunt collata Humanitati simul cum ipsa Unione; consequenterque ante omnem actum meritorium.

768. Colliges secundò cum P. Lugo cit. num. 20. & aliis, Christum Dominum non meruisse de facto continuationem suæ beatitudinis, & gratiæ habitualis. Primò, quia hujusmodi continuatio est debita primæ collationi Unionis, & ipsius beatitudinis, tanquam proprietatis. Secundò, quia hujusmodi dona sunt naturâ suâ incorruptibilia; ac proinde ex se perpetuitatem sibi vendicant. Tertiò, quia eodem modo se habent quoad conservationem Unio Hypostatica, atque beatitudo, & gratia habitualis; sed Christus Dominus de facto non meruit continuationem Unionis Hypostaticæ, ut docent P. Soar. tomo 1, in 3. part. d. 10. sect. 4. §. Dici tamen potest, P. Vasq. P. Becan. P. Granad. & P. Lugo cit. num. 20. ergo neque sic meruit continuationem beatitudinis, & gratiæ habitualis.

769. Colliges tertiò cum P. Soar. cit. P. Granad. tract. 14. d. 2. num. 18. Christum Dominum etiam non meruisse suum primum actum meritorium, neque concursus, qui requirebatur ex parte Dei ad talem actum efficiendum; siquidem talis actus non fuit promeritus per actum meritorium subsequenter: tum quia meritum ex natura rei debet antecedere præmium, cum sit causa, & via ad illud: tum etiam quia

quia quod datur propter merita futura, datur dependenter ab operibus futuris; Christus autem omnia dona habuit, tanquam proprietates sibi connaturales, & ut absolute sua, sine aliqua dependentia à futuris; cum hic modus habendi esset imperfectus: non etiam fuit promeritus per alium actum antecedentem; alioqui jam iste non esset primus, ut supponimus: non denique per se ipsum, cum sui ipsius meritorius esse non possit; alioqui principium meriti caderet sub merito; ergo &c.

770. Circa alios actus meritorios, & gratiam actualem, sive excitantem, sive adjuvantem ad illos requisitam, negat absolute P. Granad. cecidisse sub meritum; siquidem actus meritorii sunt ratio formalis merendi; & omnis gratia actualis fuit debita Unioni Hypostaticæ; ergo non debuerunt mereri; alioqui jam illi habuissent rationem præmii, & non meriti, & hæc non esset debita, sed gratuita.

771. Nihilominus P. Soar, cit. distinguit in prædictis actibus, aut prout erant à solo Deo, ut Deus est: aut prout erant à voluntate Christi liberè operante: aut prout erant à Personalitate Verbi dignitatem, & valorem conferente; additque eos actus, prout erant à Deo, cecidisse sub meritum; consequenterque omnem gratiam actualem, & omnes effectus supernaturales Providentiæ circa Humanitatem; siquidem prout sic nihil defuit ex conditionibus requisitis ad meritum: Secus tamen, si accipiantur, prout erant à voluntate Christi, aut Personalitate Verbi; siquidem prout erant à voluntate, erant omnino ipsius Christi; nemo autem meretur suum quatenus suum est: & prout erant à Personalitate, ita accipiebant valorem, ut talis valor impediri non posset; nemo autem meretur id, quod necessitate logicâ sequendum est.

772. Colliges quartò, Christum Dominum meruisse gloriam Corporis sui, neque hoc sine temeritate negari posse, ut cum D. Thom. D. Basil. D. Aug. D. Chryso. D. Ambr. D. Anselm. & aliis docet P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 40. sect. 3. P. Vasq. d. 79. cap. 1. ubi hanc veritatem appellat Catholicam. Probatur primò ex illo Luc. 24. *Nome oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, &c.* Et ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et ad Hebr. 2. *Vidimus IESUM propter passionem mortis gloriâ, & honore coronatum:* quæ loca de gloriâ corporis per passionem obtentâ intelligenda sunt, & ea intelligunt Sancti Patres citati. Secundò ratione, quia hic habuerunt locum omnes conditiones necessariæ ad meritum, & cæteris paribus perfectius est habere aliquid ex merito, quàm sine illo, ut rectè cum D. Thom. docet P. Soar. cit. sed Christo Domino concedendum est, quod magis cedit in illius dignitatem, honorem, & perfectionem, attentis regulis Providentiæ Divinæ, convenientiâ, ac decentiâ statûs; ergo &c.

773. Neque obstat huic merito, quod aliis titulis, & nominibus hæc gloria esset debita Humanitati Christi Domini; siquidem bene potuit illis titulis adjungi ratio meriti, & hoc est perfectius: sic enim adultis existentibus in gratia debetur gloria titulo hæreditatis; & tamen ipsis rectè operantibus debetur alio titulo, nempe de condigno propter merita.

774. Colliges quintò, Christum Dominum etiam meruisse impassibilitatem suæ animæ, quam ab instanti mortis statim obtinuit; siquidem non debet hæc perfectio negari animæ Christi, quæ conceditur omnibus animabus justis, quæ post ipsius Christi mortem, nulla indigent purgatione. Simi-

liter meruisse resurrectionem suam, & omnes doctes corporis gloriosi, ut cum D. Thom. docet P. Soar. cit. siquidem illam merentur alii iusti, sicque magis illam meruit, cum potuerit, Christus Dominus: sicut etiam meruit triumphum suæ Ascensionis, exaltationem sui nominis, juxta illud Joan. 12. *Pater salvifica me ex hac hora, & venit vox de celo dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Undè D. Aug. tract. 104. in Joan. *Humilitas, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Et expressius ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, &c. Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Colliges sextò, etiam meruisse Christum Dominum suæ dignitatis manifestationem post Baptismum Matr. 3. post transfigurationem Matr. 17. in Nativitate per Angelos Luc. 2. in Adoratione Magorum Matr. 2. Similiter meruisse aliquo modo regnum, & dominium super univèrsam orbem juxta illud Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.* Ex Psal. 2. & Psal. 21. Siquidem hoc etiam pertinet ad externam gloriam, & manifestationem nominis illius.

Dices: Christus Dominus habuit hoc regnum, & dominium ab instanti suæ conceptionis ratione Unionis Hypostaticæ; ergo illa non meruit, sicut diximus non meruisse suam beatitudinem. Respondet cum P. Soar. cit. illa quidem habuisset principio quasi in radice, & proprietate, & prout sic non illa meruisse, sicut etiam ob eandem rationem non meruit dignitatem capitis: caruisse tamen veluti possessione, & usu hujus domini, & dignitatis, & hoc modo illud dicimus postea meruisse, ut dixit D. Bernard. lib. 3. de Considerat. *Christum merito Redemptionis vendicasse sibi possessionem cali & terræ: juxta illud Matr. 28. Data est mihi omnis potestas in calo, & in terra.*

Colliges septimò, etiam meruisse Christum Dominum judicariam potestatem, ut docet D. Thom. 3. part. quest. 59. art. 3. & cum eo P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 40. sect. 3. & sicut tomo 2. d. 57. per tertiam. Quod D. Thom. confirmat ex illo Job. 36. *Causa tua tanquam impij judicata est, causam, iudiciumq. recipies:* Quæ verba Christo accommodat, licet D. Greg. lib. 26. Moral. cap. 25. de omnibus iustis injusta patientibus illa intelligat. Magis tamen confirmatur ex illo Joan. 5. *Dedit illi iudicium facere, quia Filius hominis est.* ut latè tractat D. Aug. serm. ultim. de Verb. Domini.

## SECTIO XXXVII.

### *Expenditur tertia conditio ex parte personæ merentis.*

**T**ERTIA conditio ex parte personæ merentis est, quod persona merens sibi tantum, & non alteri condignè mereatur, circa quam conditionem aliquæ sunt difficultates excitandæ. Sit igitur.

Difficultas I. Utrum purus homo iustus (idemq. dicendum de Angelo,) possit de lege ordinata, sicut sibi, ita etiam alteri, sive iusto, sive peccatori de condigno mereri apud Deum? Negative. Ita D. Thom. 1. 2. d. 114. art. 6. & ibi expositores id tanquam certum supponentes; idemque in 3. part. q. 1. art. 3. & quest. 19. & in 3. dist. 20. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 16. à num. 3. P. Lugo de Incarnat. d. 5. sect. 8. num. 147. P. Ripal. tomo 2. d. 96. num. 3. P. Arr.